



Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 10. Solonis de Crœsi diuitijs ac felicitate judicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](#)

§. X.

Solonis de Croesi divinitatis ac felicitate iudicium.

Croesus autem diuerso tramite ad exitium suum tetendit, luculenta sane tragœdia ostendens, quam non solum illi Solon, sed etiam nobis S. Paulus sapienter consuluerit, cum scriberet: *Divinitibus huius saeculi precipue non sublimi sapere, neque sperare in incerto divitiarum sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, dñs uites fieri bonis operibus facile tribuere, communicare, thesauro sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Ita igitur Herodotus loquitur de Solone, qui per regre profectus in Ægyptum ad Hamasim se contulit, & Sardis ad Croesum. Eo cum peruenisset, hospitaliter a Croeso exceptus est, tertioq[ue], aut quarto quam venerat die, iussu Croesi ministri circumduxerunt hominem circa thesauros: omniaq[ue], qua illic inerant magna atque beata, ostentarunt. Contemplatum eum cuncta, & ut sibi opportunum erat, intuitum, talibus percontatus est Croesus: *Hospes Atheniensis, quia multus ad nos rumor de te emanauit, ob tuam sapientiam tuamq[ue], discursionem, qui philosophando permulta videndi gratia a peregrinatu*

I. Tim. 6.

IV.

Herodot.

Halicarn.

lib. L

grinatus, mihi nunc cupido incessit sciscitandi re-
ecquem vidisti omnium beatissimum? sperans
videlicet, se inter homines beatissimum esse, ita
sciscitabatur. Solon nihil admodum assentatus,
sed ut res erat respondens: Ego vero, inquit, rex
vidi beatissimum Tellum Atheniensem. Quod
dictum admirans Croesus, instat interrogare:
Qua de re Tellum judicas esse beatissimum?
Quod, inquit, Tello in Repub. bene instituta filii
erant honesti & boni, eorumque singulis liberis,
biisque omnes superstites, & cum hoc vita, quantitas
in nobis situm est, bene traduxisset, obitus splen-
didissimus obtigit. Siquidem praelio, quod Athe-
nienses cum finitimis gessere apud Eleusinem, hic
cum auxilio venisset, hostemque infugiam verti-
set, pulcherrimam oppetit mortem. Quem
Athenienses, quo loco occubuerat, in eo loco pu-
blicè humauerunt, magnificeque honorarunt.
Multa de Tello ac beata Solone referente, exci-
tatus Croesus interrogat. Quemnam secundum
ab illo vidisset, putans haud dubie secundas se
partes esse laturum: Cleobin, inquit ille, & Bi-
tonem: quippe his & genus Argivum erat, &
victus suppeditabat: ad hec corpori robur tantum
ut & in certaminibus ambo pariter victores ex-
dicerint, & de his ista memorentur. Cum dies
festus Inuenis apud Argivos esset, oportaretque

Gg 2

emping

468 Cap. XVII. Vera laus paupertatis,
omnino matrem horum ad templum ferri bobis
iunctis, hiq; boves ex agro eis ad horam præstii
non essent: tunc iuuenes, exclusi tempore, inge-
subeuntes plastrum pertraxerunt, quo mater
vehebatur, & quinq; ac quadraginta per sta-
dia trahentes ad templum peruererunt. Qm-
bus, cum hæc fecissent, & ab omni cœtu conselli
fuissernt, optimus obtigit vita exitus: per quos
Deus indicauit, satius homini esse mori, quam
vivere. Nam cum circumstantes Argini lan-
dibus tollerent, viri quidem consilium filiorum,
famina vero eorum matrem, quod tales filios ha-
beret: mater gaudio perfusa cum liberorum fa-
cto, tum forma, ante simulachrum stans preca-
ta est deam, ut Cleobi & Bitoni filiis suis daret
id, quod optimum esset homini centingere. Post
hanc precationem, ubi sacrificarunt, epulati
sunt, quiescentes in ipso delubro, non sunt am-
plius excitati, sed hoc vita exitu perfuncti.
Quorum effigies, tamquam virorum, qui opti-
mi extitissent, Argini factas, apud Delphos col-
locarunt. Et his quidem Solon secundas beatitu-
tudinis partes tribuebat. Crœsus autem contur-
batus inquit: Hospes Atheniensis, adeonte tibi
quasi nulla contemnitur nostra felicitas, ut ne
prinatis quidem viris nos & equiparandos ducim?
Qui illi, Me, Crœse, gnarum, omne numen invi-

dum esse, & turbulentum, de rebus humanis interrogas. In diuturno enim tempore, multa videntur, quae nemo velit videre: & tolerantur multa, quae nolit quicquam tolerare. Proponamus enim homini terminum vite ad septuaginta annos, qui anni constant ex viginti quinq₃ millibus ac ducentis diebus, mense intercalari non posito. Quod si velis reliquum annorum ob hunc mensem prolixius fieri, ut hora ad id, quod deest, accedentes congruant, menses quidem intercalares supra annos septuaginta fient triginta quinq₃ dies autem ex his mensibus mille quingenti. Horum dierum omniū, qui sunt in septuaginta annis numero viginti sex milia ducenti quinquaginta, nullus prorsus quale alius rem affert. Ita igitur, Cræse, omnino calamitosus est homo. Verum tu mihi videris & dinitijs valde pollere, & permultorū hominū esse rex; sed quod me interrogasti, nondum te appello, prius quam bene vita defunctum te audiero. Neq₃ enim beatior est, qui magnis opibus præditus est, eo qui diurnum vietum habet: nisi eidem omnibus bonis prædicto, fortuna concederit, bene vita defungi. Etenim complures homines sunt perquam locupletes, minimè tamen beati: complures item mendocria habentes patrimonia, fortunati. Quorū s_z, qui dinitijs affluit, sed non beatus est, duabus

470 Cap. XVII. Vera laus paupertatis,
tantummodo rebus antecellit fortunatum:
hic illum pluribus. Ille ad cupiditates imple-
das, & ad magnos casus ferendos potentior est:
hic et si illo inferior est in his duobus, qua bin
illi a fortuna denegantur, tamen excellit, quod
illorum inexpertus est, quod prospera fruitur u-
letudine: quod malorum expers, quod bonorum
liberorum parens, quod formosus est. Qui spi-
cer hac diem quoque suum recte obierit, ut
(quem quaris) dignus, qui vocetur beatus, pri-
ramen, quam ad obitum peruerterit, nequaquam
beatus appellandus, sed fortunatus: qua omnia
consequi quamvis dies homo, impossibile est. Sicut
nec una regio cunctis sibi ipsi suppeditat, sed alia
habens, alio indiget: que tamen habet plurima
ea est optima. Quemadmodum & hominis cor-
pus unum aliquod non est consummatum, quia
aliud habet, alio vacat. Quisquis autem horum
plurima perpetuo habuerit, dehinc placido animo
e vita excesserit, hic apud me nomine hoc ueni
rex donari meretur. Ofanis rei operat inspicere
exitum, quod sit ~~ex~~asura: quoniam multos Dei
quibus fortunas suppeditauerat, raditus esse-
tit. Hac Solon negat, assentando Cræso, neque ul-
lius cum momenti faciendo locutus, dimittitur.
Saneq; est visus esse indoctus, qui bonis presentia-
bus pratermissis, inberes omnium rerum inspi-
cere exitum.

S. XI.

§. XI.

Crœsi exitus infelix.

Ita ridentur à stultis sapientes. Ita cum Phrygibus sapiunt, quos Plutus excæcat. Sed serò tandem palinodiam cantant. Quod & Crœso accidit. Nam post abitum Solonis, inquit auctor, *ingens deorum indignatio Crœsum exceptit id quod credibile est ei ideo accidisse, quoniam seipsum omnium hominū beatissimum arbitratus fuisse*. Patuit enim tunc fortunam esse fugacem. Nam primò eum somnium exterruit. Dein filius in venatione aprorum, ab illo ipso occisus, cui in custodiam datus erat, contristauit. Tertiò oraculo male intellecto deceptus est. Quartò infeliciter cum Cyro pugnauit. Quintò Sardis vrbs est expugnata. Sextò ipse Crœsus viuus captus. Itaque Persa & Sardibus petiti sunt, & Crœso viuo, cùm regnasset annos quatuordecim, totidemq; dies fuisse obcessus, amissè magne imperio, ut ei fuerat responsum. Eum captum Persa ad Cyrum perduxerunt, quē ille vincitum compedibus, super ingentem, quam struxerat, ligerorum struem imponit, circaq; cum bis septem Lydorum filios, siue habens in animo primitias bas alicui Deo offerre, siue volens votum persolvere, siue cupidus sciendi, num quis demonum

Gg 4

libera-